

IOANNIS VERNERI NVREMBERGEN  
sis Commentarius seu Paraphraستica enarratio in un  
decim modos conficiendi eius problematis  
quod cubi duplicatio dicitur.



Radituro mihi commentariolum aut si mauis paraphrasim in modos duplicandi cubum, qui Georgio Valla Vicetino interprete ad latinos huius aetatis geometras ex Gracia migrarunt, non abre visum est in primis praemittere Eratosthenis quam scripsit super hac re Ptolomaeo regi epistolam, quoniam in ipsa explicatur qua ratione hoc problema, quod duplicatio cubi dicitur, originem habuerit, quiue græcorum geometrarum primi fuerint idem explicantes absoluenterque problema, quanque huius problematis scientia mortalium generi ciuiliter ac communiter viuenti in pace belloque ad conservandam hominum amicitiam atque vicariam benevolentiam & iusticiam quæ cuiusque reddit quod suum est, non tantum utilis verum etiam necessaria ostenditur, deinde in eadem epistola notatur difficultas quorundam modorum ac idcirco author commendat suum duplicandi cubi modum a promptitudine & facilitate, quem postremo duplice conficit ratione primum quidem Geometrica demonstratione. Deinde instrumentalis constructione qua inter duas duas rectas lineas non tantum binas medias proportionales, sed quotlibet inuenire docet. Eratosthenis autem epistola, commentatione paraphrastica his a me verbis enarratur.

Ptolemeo regi Eratosthenes salutem plurimam dicit. Priscum quemdam tragicum accepimus introducere Minoa Glauco sepulchrum excitare volentem, interrogatum qua nam id formula ædificari mallet, respondisse cubicam, cuius capacitas seu area dupla esset eius cubi, qui quaquam versus atque in omni latere centenos obtineret pedes. Architectus igitur arbitratus unumquodque membrum seu latus duplum esse faciendum hallucinari iure optimo visus est. Quippe lateribus duplicatis quodlibet planum sic fabricati solidi quadruplum efficitur, ipsum autem solidum, octuplum. A geo-